

*veritati ac paci suum.* Quomodo enim haec postrema melius & sanctius promoveri posset, quam per veritatis coelestis dilucidam expositionem, ut omnium oculos illustret ac feriat? Videat coeterum *Allocutor*, quomodo hanc labem Ecclesiae nostrae inique adpersam, vel suo quoque exemplo nervosissime refutet & eluat.

§. III. Quod reliquum est, cum *Allocutor Instit. p. 396.* veluti vadium obierit, nostrumque calculum efflagitaverit, *si quando dissentientes mentem suam orthodoxe explicent*, atque, **VERAE SENTENTIAE** se baud contrarios esse, ostendant, *siquidem probe notandum sit, a conscriptione F. C. usque ad nostra tempora aliam faciem naturam esse controversiam, & subinde lucem majorem rebus affundi, quam olim factam.* Etsi hujus promissi specimen, in pura confessione, nostrae confessioni conformi, nondum attulerit, eaque, quae dixit, nondum probaverit, expectare tamen, sciat, Ecclesiam nostram universam, utrum talis consensus verus & sincerus, non artificiis & strophis, quales supra animadvertimus, & rejecimus merito, obvolutus, nobis ob oculos poni unquam queat. *Magnum* enim est, ut modestissime de re loquamur, *multum* est, quod hic sibi sumsit. Res tota non hominum, sed Dei est. Pertinet ad Ecclesiam, & tangit animas Christi sanguine pretioso redemptas. Judicium erit posteritatis, quae, quo animo, impetu, modo, fine, consilio gestum sit negotium, ex eventu rerumque monumentis accurate & sine praepostero affectu judicabit. Opus est maturitate, deliberatione diuturna, collatione repetita cum Viris de Ecclesiae salute, & tuenda veritate sollicitis, multisque aliis momentis, nisi quenquam consilium poenitere debeat, quod coeterum ad universam Ecclesiam spectare, & cum gloria Dei, ejus emolumentum verum unice pro scopo habere debet. Deus vero pacis regat omnes Ecclesiae Doctores & Auditores, ejusque pax superans omnem mentem, custodiat ipsorum corda & *νοήματα* in Christo Jesu, ut in veritatis defensione candida & sincera non defatigentur, sed, superatis feliciter pugnis, in Ecclesia triumphante largissimis aliquando praemiis exhilarentur!

SOLI DEO GLORIA,